Quaestio Medica Cardinalitiis disputationibus agitanda In Scholis Medicorum die Jovis 6a martii

M. Petro Collier Decano Antiquiore, Moderatore.

Estne Pulsus, quàm Urina febrium certior Index?

Cum non modo morborum quorum et quidem tranquillae naturae sunt in intimo corporis recessu latentium, sed eorum qui externas partes occupant natura propemodum sit incognita solis sensibus nostra in eorum cognitionem venire potest, eorum vero signorum tres sunt praecipui fontes ex quibus omnia fere ducuntur, actio laesa, propria accidentia, et excrementum. Excrementa cum tribus coctionis gradibus respondeant humorum, et partium à quibus manant, constitutionem declarant, sed urina maxime quae cum nihil sit aliud quàm serum vi venarum attractum in quibus reddita urina est eorum qui in venis continentur humorum, et secundae coctionis excrementum hepatis, venarumque; maiorum, et partium per quas illabitur affectus, renibus, aliarumque vero obscurius significat.

In urinâ spectanda praecipue sunt Chymosis in crassitie, tenuitate, et perspicuitate, quantitas in multitudine et paucitate, qualitas in colore praesertim et odore, contenta, et excernendi modus. naturalis quae reliquarum omnium regula est, et norma, consistentia mediocris, et flava, colore subaureo, et citrino esse debet cum hypostasi alba, laevi, et aequali cuius natura in sanis est crassior urinae portio quae coctionis vim effugit, in aegris vero natura plerumque; morbifica proportione pari respondens, reliquae omnes praeter naturam sunt, ut in tertianâ subrufa est et bile multâ tincta, interdum alba propter bilis raptum in aliam partem, vel obstructionem; in quotidiana interdum tenuis, interdum crassa, interdum alba, in quartana et aliis plerisque; febribus, tum chymate, tum colore varia.

Pulsus cuius doctrinam vel divinus Hippocrates ignoravit, vel non scripsit, vel eam fortassis ad respirationis modulum retulit, actio est cordis cuius vulnera cerebri vulneribus sunt multò periculosiora, et arteriarum quae contractione, et dilatatione movetur à vitali facultate à qua pulsificam reipsâ distinguere nihil est necesse quo nativi caloris mediocritas retineatur, duabus enim constat partibus diastole qua arteria quoquoversum se diffundit, et dilatat, et aërem undique; sanguine tracto infitum calorem temperat, et spiritui pabulum subministrat, systole ~~qua undique~~; in se se ipsa undique; considit, seque; submittit et fuliginem exustione comparatam expellit. Cuius tres causae internae sunt, facultas vitalis in commodo cordis temperamento posita, usus triplex, et instrumentum.

Ex motus quantitate dicitur magnus vel parvus pulsus, ex qualitate celer tardus, ex ictu vehemens languidus, ex quiete media rarus tardus, ex arteriae qualitate calidus, frigidus, durus, mollis, ex comparatione mutuâ aequalis, inaequalis, ordinatus, inordinatus, et quamquam multiplices causae pulsum immutent, tamen fere perpetuum est ut in febre diaria pulsus sit frequens, celer, magnus, validus, aequalis, in omni putrida systole velocior, quam diastole, in tertiana nulla inaequalitas praeter quam febrilis, in quotidiana minor et magis inaequalis, in quartana accessionis initio et fine tardior, et rarior et in diastole urina inaequalis, in hectica parvus ~~inaequalis~~ debilis, frequens, durus, in pestilenti (cui minime confert phlebotomia) interdum languidus, parvus, inordinatus interdum sanorum similis, interdum etiam magnus frequens.

Febris calor est immodicus, et igneus totius corporis à nativo specie distinctus in corde primò accensus, ab eoque; in corpus universum diffusus, alia autem est symptomatica, alia primaria. Haec vel spiritus, vel humores, vel partes solidas occupat, putrida vero, vel est continua quo in genere ea est quae à sanguine excitatur, vel intermittens cuius ~~natura~~ natura in venis quidem est, sed singulis accessionibus sudore vel ea quae sensum fugit transpiratione dissipatur. Intermittens à ~~fl~~ bile tertiana, à pituita quotidiana, ab humore melancholico quartana in quarum prima iecur, secunda ventriculus, tertia lien maxime afficitur. Ab his non solo putredinis gradu differt pestilens, sed qualitate deleteria, et toto genere naturae nostrae infensa. Cum itaque; febris qualibet cordis sit ~~affectus~~ affectus, pulsus vero cordis sit actio praestantissima, urina hepatis, et venarum excrementum.

Febrium Pulsus quàm Urina certior esto Index.

Proponebat Lutetiae M. Antonius Casluanus Sessanensis A.R.S.H. M. D. LXXXVI.